



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Ferdinandum Regem, qui mox lectus Imperator, consolatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

rum exquireretur, & Societatis ad vulgus recta opinio salua esset.

Inito Februario ad Regem Ferdinandum peruolauit, quem ferebat fama religionis rem in Austria pro perdita, ac deplorata reliquisse. Cardinalis Augustanus, Princeps Bauarus, boni omnes, ac prudentes viri censebāt Collegium Viennę haud extra periculum esse, & Bauarus, oblato cœnobio in suis terris, multum vt eò statim auocaretur, instabat. Sed Canisius minimè ratus tempestati cecidendum, non modò sperabat Patres, fratresq; inuictos fore pro Deo, & Ecclesia milites: atque ad sanguinem vsque, si res posceret, restituros, verū etiam auido martyrij animo ad periculi societatem rapiebatur: Vicarioq; Lainio, si ille probaret, denuntiavit in mediam flammam continuo cōiecturum sese. Quamuis vnum se omnium maxime flagrare odio nosset, accursurum in nomine Domini contra Goliath, & confessurum coram hominibus suam, & Ecclesię fidem, atq; doctrinam pro modulo suo. Scire enim cui crediderit. Has ob res, & alia ab Turcis discrimina No-

rimbergæ Ferdinandum Regem mœstissimum, & consiliis, auxiliisq; destitutum reperit: qui in

T

cius

*Excelsitas animi, & Martyrij cupiditas.*

*Ferdinandum Regē qui mox lectus Imperator, consolatur.*

eius sinu arcana omnia, domesticosque angores deposuit: vnde tanta commiseratione compunctus est famulus Dei, vt præter suam omnem operam, nunquam intermiserit ex tota Societate pro eo preces plurimas, & sacrificia postulare. Et mox cum in eum Carolus Francofordiam progressus Imperij titulos transtulisset, septena singulis sacerdotibus sacra pro felici euentu noui honoris & alias quadam portione preces Laicis edixit in sua Prouincia. Instabant iam Ieiunij Magis solennia, & Cardinalis Augustanus per sacrum id tempus vehementer optabat sub Canisij disciplina beati Ignatij ascetica regustare: sed consentaneum non erat vt nauissimus colonus aptissimo culturae tempore desideret in vmbra.

*Straubingæ  
rem Cathol-  
icam sustinet.*

Itaque autore Ferdinando ipso, Ducis Bauarum flagitatu ad Euangelicum opus impigre facendum concedit Straubingam. Ea Ciuitas est in inferiore Bauaria inter quatuor primas Ducatus præsentissimaque indigebat ope. Nam qui proxime Curionis, quiq; Concionatoris munera sustulerant, pro Curatoribus animarum, venefici tandem deprehensi, totam fere sensim corruperant Lutherana peste: & posteaquam satis venenorum

diffu-